



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Ervditione Religiosorum

Humbertus <de Romanis>

Ingolstadii, 1591

VD16 H 5888

3. Furtum proprietarij est detestabile.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50980](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50980)

etiam interiora. Scrutabor Hierusalem in lucernis: non solum in lucerna: quia non solum exteriora videbuntur, sed etiam cordium abscondita. Sapiens sibi videtur vir diues, proprietarius scilicet, qui diuitias furtiuè habet in religione: pauper autem prudens scrutabitur eum, Christus scilicet.

*Sopho. 1.**Pro. 28.*

Quod furtum proprietarij sit valde detestabile.

CAPVT III.

Valde detestabile est furtum proprietarij: qui furtum committit inter bonos, quod cauebat inter malos: furtum committit in sacro loco, quod cauebat in seculo. Furtum ibi committit religiosus, vbi timet illud committere secularis. Hoc peccatum multum offendit Deum, & magnum zelum debet habere contra illud, qui religioni præest: & etiam congregatio, sicut ostensum est in peccato Achan, qui contra Domini prohibitionem de anathemate Hierico retinuit furtiuè: pro quo Dominus non solum illi, sed etiam populo se offensum ostendit, nec placari potuit, donec reus furti illius à populo lapidatus fuit. Idem ostensum est tempore gratiæ in Anania & Saphira: qui morte subitanea occisi sunt, cum illud quod debebat esse commune, furtiuè sibi appropriassent. Idem ostensum est tempore beati Gregorij: vt in Dialogo eius habetur: Quidam frater in eius monasterio, qui medicus erat, in infirmitate positus, morti propinquus, fratri sibi seruienti reuelauit, quod haberet tres aureos occultos; quod fratribus celari non potuit. Et perscrutantes omnia eius medicamen-

*Iosue 7.**Actor. 5.**Lib. 4. Dialog. cap. 55.*

camenta, eosdem tres aureos inuenerunt in medicamine abscondos. Quod cum nunciatum esset Gregorio : noluit parcere , quin & infirmum & mortuum puniret. In infirmitate subtraxit ei visitationem fratrum : & in morte eius voluit corpus eius non poni cum corporibus fratrum, & tres aureos voluit cum eo sepeliri, omnibus fratribus simul clamantibus. Pecunia tua tecum sit in perditionem. Exemplo suo his qui præfunt in religione , voluit ostendere , quantum zelum contra hoc peccatum debeant habere. Hoc peccatum destruit fundamentum religionis, scilicet paupertatem spiritus : quam Saluator legem nouam tradendo , primò commendauit ; Beati pauperes spiritu : quoniam ipsorum est regnum caelorum.

Matth. 5.

Primi Libri eruditionis Religiosorum Finis.



SECVN-